

ITEM EPISTOLA SANCTI CLEMENTIS PAPAE DE COMMUNI VITA ET RELIQUIS <CAUSIS> SUIS DISCIPULIS SCRIPTA HIEROSOLIMISQUE DIRECTA.

- 1 DILECTISSIMIS FRATRIBUS ET CONDISCIPULIS Hierusolimis cum
carissimo fratre Iacobo coepiscopo habitantibus Clemens episcopus. 5
- 2 *Communis* vita, fratres, *omnibus* est necessaria et maxime his, qui deo
inreprehensibiliter militare cupiunt et vitam apostolorum eorumque
discipulorum imitari volunt. *Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc*
mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius hoc suum dixit
esse, et alius istud, et sic inter mortales facta divisio est. Denique Grecorum 10
18v *quidam sapientissimus haec ita sciens esse <ait> communia debere esse*
amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio et coniuges. Et sicut non
potest, inquit, dividi aer neque splendor solis, ita nec reliqua, quae communiter
in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum dividi debere, sed habenda esse
communia. 15
- 3 Unde et dominus per prophetam loquitur dicens: *Ecce quam bonum et quam*
iocundum, habitare fratres in unum, et reliqua. Istius enim consuetudinis more
retento etiam apostoli eorumque discipuli, ut praedictum est, una nobiscum et
vobiscum communem vitam duxere, unde, ut bene nostis, *erat multitudinis eorum*
cor unum et anima una, nec quisquam eorum aut nostrum de his, quae 20
possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis et nobis erant communia,
nec quisquam egens erat inter nos. Omnes vero, qui domos vel agros
possidebant, vendebant eos, et precia eorum et reliquas res, quas habebant,
afferebant ponentes ante pedes apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrum
cognoverunt et viderunt, et *dividebantur singulis, prout cuique opus erat.* 25
Annianas autem vir austerus, et Saffira uxor eius, qui mentiti sunt apostolis de
precio agrorum suorum, quos vendiderant, nobis praesentibus in conspectu
omnium circumstantium a conspectu apostolorum propter peccatum eorum et
mendacium, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Cetera, quae de talibus
cognovimus et vidimus, nec recordatione nec demonstratione digna sunt. 30
Quapropter haec vobis cavenda mandamus, et doctrinis et exemplis apostolorum
oboedire praecipimus, quia hi, qui mandata eorum postponunt, non solum rei, sed
extorres fiunt, quae non solum vobis cavenda, sed omnibus praedicanda sunt.
- 4 Relatum est etiam nobis, quod quidam vestris in partibus commorantes
adversantur sanis doctrinis, et prout eis videtur, non secundum traditionem patris, 35
sed iuxta suum sensum docere videntur. *Multas enim quidam, ut audivimus,*
vestrarum partium ingenium hominum ex his, quae legunt, verisimilitudines
capiunt. Et ideo diligenter observandum est, ut lex dei, cum legitur, non
secundum propriam ingenii intellegentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa
verba in scripturis divinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi 40

1 ET] *exp. V.* 2 CAUSIS] *codd.; om. V.* 11 ait] *codd.; ita V.* 18 retento] *corr. from retenta V.* 19 ut] *add. over line V.* 31 haec] *corr. from hae V.* 30–32 mandamus ... cavenda] *add. in marg. V.* 39 ingenii] *add. in marg. V.*

6–15 *Communis ... communia: Clem. I., Rec. X, 5, 5–7 (REHM/STRECKER, GCS p. 327 l. 12–19).* 15–16 *Ecce ... unum: Ps. 132, 1.* 18–20 *erat ... communia: Act. 4, 32..* 21–24 *nec ... erat: Act. 4, 34–35.* 25–26 *Annianas ... vendiderant: Act. 5, 1–2.* 27–28 *a ... ambo: cfr Act. 5, 3–10.* 36–50 *Multas ... declinet: Clem. I., Rec. X, 42, 1–5 (REHM/STRECKER, GCS S. 353 Z. 14–S. 354 Z. 2).*

unusquisque sponte <praesump>sit, sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus ab adulteris alienum et extraneum debetis quaerere, aut quomodo ipsum ex scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intellegentiam discere scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter asserere. Cum enim ex divinis scripturis integram quis et firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione <communi ac liberalibus> studiis, quae forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat, ita tamen, ut, ubi vera didicit, falsa et simulata declinet.

Incertum est enim etiam iuvenibus vitae tempus, senibus autem iam nec incertum est. Non enim dubitatur, quod quantumcumque est, quod putatur superesse, breve sit. Et ideo tam iuvenes quam senes oportet de conversione et paenitentia valde esse sollicitos et satis agere, ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est dogmatibus veritatis, decore pudicitiae, splendore iustitiae, candore pietatis aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem mentem.

Unde consilium dantes vestram prudentiam hortamur, ut ab apostolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes et scripturas sacras recte intellegentes, quae domino vovistis, adimplere satagatis et oratione assidua, cum dei gratiam obtinere merueritis, tunc sine suspitione mali interitus vota possint celebrari festiva.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

41 praesumpsit] *codd.*; promisit V. 42 ab] *add. over line V.* 48 communi ... liberalibus] *codd.*; ac liberalibus commune V. 49 attigit] *corr. from adtingit V.* 51 vitae] *corr. from ut te (?) V.* 58 ab] *add. over line V.*

51–57 Incertum ... mentem: *ibid.*, 43, 2–3 (p. 354 l. 6–13). 53–57 Et ... mentem: *Also in Ps.-Clem. I., J³ †27.4.* 58–62 consilium ... festiva: *cfr Ep. episc. prov. Turon. ad pleb. (DE CLERCQ, CC 148A p. 198 l. 34–39).* 63 Deus ... vobis: *cfr 2. Cor. 13, 11; 2. Thess. 3, 16, 18.*